



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XCVI. Stephanvs IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

Prædictus Pontifex in quadam epistola de infirmitatis suæ liberatione ita inter cætera dicit. *Cum iam medici desperarent, fuit sicut in oratione in Ecclesia B. martyris Dionysii subtus campanas, & vidi ante altare dominum Petrum & Dominum Paulum, & nota mente illos recognoui, & tertium B. Dionysium ad dexteram B. Petri subtilem & longiorem. Dixitque Dominus Petrus. Hic frater noster postulat sanitatem. Et dixit B. Paulus. Modo sanabitur, & appropinquans misit manum suam ad peclus domini Dionysii amicabiliter, respexitq; ad Dominum Petrum. Et dixit Dominus Petrus ad Dionysium hilariter. Tua gratia est sanitas eius. Et Dionysius veniens ad me ait. Pax tecum frater, non morieris, donec ad sedem tuam prosperè reuertaris. Surge, & hoc altare in honore DEI & veneratione Apostolorum Petri & Pauli dedica: moxq; sanus factus impleui que iussa sunt.*

XCV.

A.DCCCLVII.

S. PAVLVS.

PAVLVS, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos 10. mensem 1. In huius autem electione populus Romanus diuisus est. Nam alii Theophylactum archidiaconum, alii hunc volebat habere Pontificem. Sed pars illa, quæ maior ac validior fuit, tandem hunc elegit, & ita cæteris dispersis iste sedem obtinuit. Hic consecrauit Episcopos 20. presbyteros 12. diaconos 2.

XCVI.

A.DCCCLVIII

STEPHANVS IV.

STEPHANVS, natione Siculus, ex patre Oliuio, sedit annos 3. menses 5. dies 27. Dum Paulus Papa ex hac vita migrasset continuò Constantinus quidam laicus à germanis fratribus, & illis, quos fratres quoquo modo attrahere potuerunt, latrocinio in Patriarchium est introductus. ibiq; repente vna die fit clericus, alia verò die subdiaconus & diaconus à Georgio Prænestino Episcopo consecratus est: & proximo Dominico die cum multitudine armatorum ad Ecclesiam B. Petri properans à prædicto Georgio & aliis duobus Episcopis, Albanense videlicet & Portuense in Pontificem ordinatus est, & vnius anni & mensis spacio Romanam Ecclesiam hac inuasione detinuit: & infra hoc spacium Episcopos 8. presbyteros totidem, & diaconos 4. ordinauit. Sed prædictus Prænestinus Episcopus non multo post diuina vltione correptus est. nam dextera manus eius aruit, & contracta est, adeò ut ad os eam erigere

erigere non posset, & taliter languens vitam finiuit. Constantinus
verò decurso anni & mensis spacio à Romanis & Longobardis re-
pente superuenientibus, interfecto uno ex fratribus suis, capitul.
Deinde prædicto Papæ Stephano iam electo præsentatur, ibi q; af-
fidentiū iudicio deponitur. Postmodū p̄diētus electus in Pontifi-
cē ordinatur. Inter hæc Theodorus Episcopus Constantini Vicedo-
minus à turba raptus oculis priuatur, lingua truncatur, & Passiuus
eiusdem Constantini germanus excæctatur, & ipse Constantinus
demum capitul, lumine priuatus, miserè in platea iacere relinqu-
tur. Deinde pro impiæ inuasionis præsumptione Synodo in vrbe
Romana congregata, primò omne scriptum de eius actionibus ge-
stum igni mandatur. deinde statuitur, vt omnia, quæ isdem Con-
stantinus in Ecclesiasticis sacramentis, aut diuino cultu egerat, ite-
rarentur, præter sacrum baptisma, aut sanctum chrisma. De con-
tumacib. & inobedientib. & contētioni & scādalo insistentib. præ-
cepit, si post primā & secundā admonitionē se minimè correxerint
vt quasi zizaniorum seminatores ab Ecclesiæ gremio abiificantur.
Hic constituit 7. Cardinales Episcopos, qui alternatim in Eccle-
sia B. Petri Apostoli hebdomadas celebrarent, & hymnum ange-
licum in Missarum sollemniis decantarent. Hic ordinauit Episco-
pos 10. presbyteros 5. diaconos 4.

XCVII.

S. HADRIANVS.

A.DCCLXXII.

ADRIANVS, natione Romanus, ex patre Theodoro, de regi-
one Via lata, sedit annos 23. menses 10. dies 7. Hic vir valde
nobilis, & fortissimus orthodoxæ fidei, & patriæ suæ, & plebis sibi
commissæ defensor, ad sedandas calumnias, & deuastationes, quas
Desiderius Longobardorum rex in bonis S. Petri exercuit, KARO-
LVM magnum Francorum Regem Romam vocauit. Qui cum
quinto anno regni sui illuc venislet, inter cætera, quæ ab ipso ibi
magnificè gesta sunt, etiam partem aliquam Saxoniæ in prouincia
Westfalia, quam ad fidem Christianitatis conuertit, vt ipse iam
prædictus Papa præcepit, & docuit, secunda feria Paschæ in basili-
ca S. Petri Apostoli inter cætera, quæ ad manum Papæ offerebat,
Deo in sacrificium obtulit, & in loco Osbrugge vocato Episcopa- *Vide Alb.*
tum constituere, & decimis nouiter ad fidem conuersorum, si sanus *krantz: me-*
& incolmis remeasset, Papa ita dictante, & priuilegiis suis confir- *trop. lib. 1. c. 2.*
mantente dotare deuouit. Ordinauit autem Episcopos 186. presbyte- *& lib. 2. Sa-*
ros 24. *xon. c. 11.*